



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. De vnitate naturæ vniuersalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

postea, de quatuor qualibet prædicatur vere quod sit vniuersale: sed certum est ex ipsis aliquas, nimirum differentiam, & proprium non esse quid completum, nec poni etiam directe in prædicamento villo: ergo vniuersale hic definitum non debet esse quid completum, nec directe ponibile in prædicamento. Et per hoc ruit aduersa sententia fundamentum, quod erat, vniuersale hic definitum per se esse quod directe collocatur in prædicamentis.

Debet esse quid prædicamentale.
Si etiam queratur aliter, utrum illud vnum debeat esse quid prædicamentale. Respondendum affirmative propter rationem iam dictam, nimirum quod hic agatur de vniuersalibus in ordine ad cognitionem prædicamentorum & rerum, quæ in iis ponuntur, quatenus sunt de se inuicem prædicabiles, vel non prædicabiles.

5. Dicitur denique, aptum inesse multis, ad significandum quod vniuersale debeat esse talis natura, vt licet de facto non sit, possit tamen esse in multis cum sui multiplicatione, ac diuisione, sicut natura humana de facto est in Petro, & Paulo, in quibus ita reperitur diuisa, vt ipsi possint dici duo homines. Vnde à ratione vniuersalis per hanc particulam excluduntur omnia indiuidua, nã quamuis aliquod vnum indiuiduum possit esse in pluribus locis, & in pluribus etiam subiectis, siue in hætionis, vt si vna numero albedo esset in duobus parietibus, siue informationis, vt si eadem numero forma substantialis esset in pluribus materiis, tamen nunquam posset in illis multiplicari, ita vt posset dici quod essent plura indiuidua in pluribus illis locis aut subiectis.

Cur essentia diuina non sit vniuersalis.
Et hac ipsa ratione excluditur essentia diuina, quæ de facto reperitur in pluribus personis diuinis realiter inter se distinctis, identificata realiter ipsis, tamen nõ multiplicatur nec diuiditur in illis, quia vt fides Catholica docet, non est verum dicere, quod sint tres essentia diuine in illis personis, aut quod illæ tres personæ sint tres Dii.

Natura solis est vniuersalis.
Non vero excluditur à ratione vniuersalis natura Solis, quia licet de facto nõ reperiatur in pluribus indiuiduis, nec possit etiam naturaliter in pluribus reperiri, tamen nemo dubitat quin Deus possit ipsam ponere & multiplicare in pluribus indiuiduis, hoc autem sufficit vt habeat aptitudinem existendi in pluribus, de qua hic agitur, quidquid dicat alij qui requirunt aptitudinem existendi in multis per potentiam naturalem sine villo fundamento recedentes in hoc à cõmuni sententia, & restringentes acceptionem vocabuli, seu nominis Vniuersalis.

6. Quæres an vnitas ac aptitudo, quæ ponuntur in definitione hac nostra ac cõmuni Vniuersalis, sit de eius essentia?

Vniuersale est nomen concretum.
Ad hanc difficultatem vt respondeatur, præsupponendum est cum cõmuni sententia Vniuersale esse nomen concretum, pro materiali dicēs ipsam naturam, quæ talis dicitur, v.g. naturam hominis vel naturam animalis pro formali vero vniuersalitem seu formam, à qua dicitur vniuersalis. Itaque si loquamur de vniuersali materialiter, hoc est de illa natura, quæ dicitur vniuersalis, certum est nec vnitate nec aptitudinem esse de eius essentia, sed ad summum proprietatem; si vero loquamur de vniuersali formaliter, quãdoquidem vt sic nihil aliud dicat quam ipsam vnitatem ac aptitudinem, non debet dubitari quin illa sint de eius essentia, sicut albedo est de essentia albi materialiter: nec de hoc credo aliam posse esse quæstionem quam de nomine.

Q V Æ S T I O II.

De vnitate naturæ vniuersalis.

Vnitas & aptitudo sunt de essentia eius formaliter considerari, non materialiter.
1. Diximus naturam omnem, quæ denominari potest vniuersalis, debere esse vnum quid: vnde hic examinabimus quam vnitatem debeat habere, aut quomodo debeat esse vnum.

Quid sit esse vni.
Pro quo aduertendum, quod secundum omnes, res vna nihil aliud sit quam res indistincta, seu indiuisa in se & distincta seu diuisa à qualibet alia re, v.g. quia Petrus est quid indiuisum in se, & distinctum seu diuisum à Paulo & quibuscumque aliis rebus, propterea dicitur esse vnus; quia vero Petrus & Paulus non sunt in se indiuisi, sed potius diuisi, quãuis distinguantur à quibuscumque aliis, non sunt quid vnum, vnde vnitas est illud, à quo habet

res formaliter esse sic in se indiuisa & distincta à quibuscumque aliis quamuis autem cõtrouertatur, an illud, à quo res habeat esse vna, sit quid negatiuum, vt v.g. negatio diuisionis in se & identitatis cum aliis, vel quid positiuum, tamen quia illa cõtrouersia non conducit ad propositum remittenda videbatur ad Metaphysicam.

8. Aduertendū vltius, rem quamlibet posse distinguī ab aliis rebus, & per principia sua formalia ac essentialia per principia sua materialia ac indiuidua, vnde potest considerari res & secundum vnitatem formalem, vt secundum vnitatem indiuidualem, seu numericam v.g. Petrus differt à Bucephalo & secundum principia sua essentialia, quatenus scilicet essentia ipsius est dissimilis essentia Bucephali, & secundum principia indiuidua, quatenus scilicet non facit vnū numero cū Bucephalo. Prior vnitas cõpetēs rei ratione essentia vocatur formalis, quia sequitur essentia rei, quæ forma ipsius dicitur, secūda vocatur materialis, quia sequitur indiuidualitatem, quæ vocari potest materia metaphysica rei propter proportionē, quam habet cum materia physica, quæ proportio in hoc consistere potest, quod quemadmodum nõ possumus colligere nec identitatem specificam rerum materialium subalternarū ex materia, quandoquidem omnes includant materiam eiusdem rationis: ita etiam ex differentis indiuidualibus non possumus colligere differentiam specificam aut essentialē, nec etiam identitatem vllarum rerum. Vocatur etiam illa vnitas materialis vnitas numerica, quia est principium numeri, & ideo vocatur principium numeri, quia numerus proprie loquendo est multitudo rerum singularium realiter distinctarum.

Quid vnitas formalis.
Quid materia.
Hinc sequitur quod quæcūque non distinguuntur per principia indiuidua, sint vnum numero, & quæcūque non distinguuntur per principia formalia, seu essentialia sint vnū formaliter, & essentialiter. Quia vero in essentis rerū solē includi plures formalitates, vt in essentia hominis includitur animalitas & rationalitas, hinc fit, vt aliquid possit distinguī ab alio secundum aliquam formalitatem vnā ex formalitatibus inclusis in sua essentia, licet non distinguatur secundum aliam formalitatem v.g. homo distinguatur ab equo formaliter & essentialiter non secundum animalitatem, sed secundum rationalitatem & propterea licet non sit vnum cum ipso in rationalitate, est tamen vnum cum ipso in animalitate: hæc tamen vnitas in animalitate non impedit, quo minus dicatur simpliciter diuisus & distinctus formaliter & essentialiter ab ipso, nã illud dicitur distinguī essentialiter ab alio, quod non est eiusdem essentia cum ipso: quamuis autem homo, & equus conueniant in animalitate, quia tamen animalitas non est essentia hominis aut equi, licet sit de essentia eorum propterea simpliciter potest dici quod non sint eiusdem essentia.

10. Aduertendum tertio illam vnitatem esse vnitatem naturæ vniuersalis, secundum quam aliqua natura potest inesse multis, in quibus tamen multis numeretur, & de quibus multis prædicari possit, vnde si natura humana, quæ multiplicatur in omnibus indiuiduis hominū existentibus & possibilibus, nõ obstante illa multiplicatio, ne habeat aliquam vnitatem in illis indiuiduis, aut si illa indiuidua, nõ obstat quod sint plura numero, & distincta & diuisa per principia materialia, habeant aliquam vnitatem in natura, illa vnitas erit sufficiens vnitas pro vniuersalitate: & vltius si illa vnitas sit à parte rei, vnitas vniuersalis erit à parte rei: si verò illa vnitas sit per intellectum, tum vnitas vniuersalis sit per intellectum, quod si nec sit à parte rei, nec fieri possit per intellectum, tum certum est quod non detur vniuersale vlla ratione nec à parte rei, nec per intellectum. His suppositis.

11. Prima sententia est, vnitatem requisitam ad vniuersalitem aduenire nature per operationem intellectus, & naturam à parte rei non habere illam vnitatem. Hæc videtur esse cõmuniissima sententia. D. Tho. de ente & essentia cap. 4. opusculo 42. Soti quæst. 2. vniuers. Tol. qu. 2. fund. 4. Conybricen. quæst. 3. Masij scilicet 2. Suarez disp. 6. Met. Auerse quæst. 8. vniuers. scilicet 8. Compluten. disp. 3. qu. 5. Ioannis à sancto Thoma quæst. 3. artic. 3. Arriaga disp. 4.

4. Quamuis autem hi omnes authores conveniant in hoc, quod unitas vniuersalis naturæ adueniat per intellectum, tamen, in aliis circa hoc dissentiunt: quidam enim ex illis, hoc non obstante, cōcedunt naturæ, quæ dicitur vniuersalis, aliquam unitatem distinctam à numerali, quam etiam, vocant formalem: quidam negant: aliqui præterea dicunt naturam esse ex se cōmunem negatiue, alij asserunt eam ex se neque esse cōmunem negatiue, neque non cōmunem; habent præterea magnam in modo explicandi hanc sententiam diuersitatem, præfertim quoad naturam actus, quo redditur vna, quam prolixum esset particulariter proponere.

Secunda sententia est naturam vniuersalem quamcumque habere à parte rei unitatem illam, quæ requiritur ad vniuersalem, nec eam accipere beneficio intellectus, imo etiam si nullus esset intellectus possibilis, competitur naturæ illam unitatem. Hanc tenet *Dost. in 2. dist. 3. q. 1.* cum omnibus suis. Et quamuis inter ipsius sequaces sit controuersia, an detur à parte rei natura formaliter vniuersalis metaphysice, tamen hæc cōtrouersia non præiudicat huic sententiæ, quia quamuis concederetur unitas illa, quæ requiritur & sufficit pro unitate vniuersalis à parte rei, posset tamen adhuc dubitari, an illa unitas sufficeret ad constituendum vniuersalem formaliter: & circa hoc versatur illa controuersia Scotistarū, nō circa primū, vt ego ipsos intelligo. Habent tamen aliam controuersiam inter se in explicanda natura huius unitatis, quam admittunt, & quam cum Scoto vocant unitatem formalem minorem unitate numerali: quidam enim ex ipsis asserunt naturam vniuersalem esse à parte rei vnā in multis positiue, formaliter tamen, non numeraliter; alijs dicentibus, quod non sit positiue vna in multis etiam formaliter, sed negatiue tantum, quatenus scilicet natura, quæ est in Petro, licet non sit eadem positiue cum natura, quæ est in Paulo, est tamen ex se indifferens vt sit in Paulo, & solum ex differentia indiuiduali habet, quod non sit in Paulo.

CONCLUSIO I.

12. Natura non recipit vllam unitatem ab intellectu, quæ sufficiat pro vniuersalitate, aut secundum quam natura verè possit esse, aut predicari de multis. Hæc est contra primam sententiam, & probatur, quia vel illa unitas quam recipit natura humana, v.g. ab intellectu, est quid fictū attributum naturæ per fictionem intellectus, vel est quid reale & verum collocatum ipsi ab illo, vel est denominatio extrinseca desumpta ab actu aliquo, quo intellectus intelligit naturam illam: sed neutrum dici potest; ergo natura humana non recipit unitatem vniuersalitatis ab intellectu. Probatur minor quoad primam partem, nimirum quod non sit quid fictum, quia ob unitatem fictam, quam haberet natura humana in Petro & Paulo, non potest vere predicari, neque vere inesse Petro & Paulo per modum vnus, vt est euident: sicut enim si ego fingerem albedinem esse in pariete, cum reuera non esset ibi, certum est quod non propterea vere posset predicari de pariete; ita etiam si intellectus fingeret vnā naturam esse in Petro & Paulo, non propterea tamen posset vere predicari de Petro & Paulo vna natura.

Probatur secundo minor quoad eandem partem; quia ad hoc requiritur unitas vniuersalis vt natura humana in sit Petro & Paulo, & predicetur de ipsis, sed absurdum est quod ad hoc requiratur aliqua fictio intellectus, ergo nihil fictum ab intellectu requiritur ad constituendum vniuersalem.

Confirmatur: Deus prædicat naturam humanam de Petro & Paulo, & cognoscit inexistentiā eius in ipsis; sed secundum magnam partem aduersariorum non facit entia rationis, ergo nihil fictum requiritur, vt cognoscatur natura humana inexistere Petro & Paulo, aut vt prædicetur de illis.

Dices: Deus non prædicat illam naturam per modum vniuersalis de illis, nec per modum talis cognoscit illā inesse illis. *Contra*: ergo neque nos etiam, eadē enim est ratio, & consequenter ad hoc vt cognoscatur natura hu-

mana inesse Petro & Paulo, & ad hoc vt prædicetur de illis, non est necesse vt sit vniuersalis, atque adeo frustra datur vniuersalitas.

13. Probatur eadem minor principalis quoad secundam partem, nimirum quod per intellectum nō recipiat natura aliquid verū & reale, quod sit unitas eius, quia intellectus non habet vim productiuam alicuius realis in obiecto, vt omnes fatentur; sed non habet virtutem productiuam alicuius realis in natura, nisi quatenus natura est obiectum eius, ergo nihil reale producit in natura.

Confirmatur: per hoc quod intelligit intellectus singulare, nihil reale producit in ipso secundum omnes, ergo per hoc quod intelligat naturam, quæ est singularis, siue simul intelligat singularitatem, siue non intelligat, nihil reale producit in ipsa, eadem enim est ratio.

Confirmatur secundo; quia eatenus cōferret intellectus unitatem realem & non fictam naturæ, quatenus intelligeret ipsam per modū vnus; sed hoc nō sufficit ad hoc vt natura vere prædicetur per modum vnus de suis indiuiduis, ergo non confert intellectus illi unitatem realem vniuersalitatis, per quam sic prædicetur. Probatur minor, quia etiam si concipiat Petrum & Paulum per modum vnus, non confert ipsis unitatem realem, quia antecedenter ad intellectum non habent talem unitatem, ergo etiam si intellectus conciperet naturam per modum vnus, non tamen confert ipsi unitatem realem, si eam antecedenter non habet.

14. Probatur minor principalis quoad tertiam partem quæ magis videtur ad mentem aduersariorum, & est expresse *Auersæ*; eatenus natura diceretur vna denominatione extrinseca desumpta à conceptu, quo intelligeretur, quatenus ille conceptus esset vnus, aut quatenus esset conceptus, quo conciperetur natura vt vna: neutrum dici potest; non primum, quia etiā si Petrus & Paulus conciperentur vnico conceptu, non propterea posset dici vnum quid, nec prædicabilia vere per modum vnus: nō etiam secundum, quia quando aliquid concipitur per modum vnus, nisi sit verè vnū, non potest dici à conceptu vnum, vt patet eodem exemplo Petri & Pauli, qui licet conciperentur vt vnum quid, non tamen essent propterea vnum quid vere, sed ad summum fictæ, nec vt vnum vere posset de aliquo predicari.

Probatur secundo eadem tertia pars minoris principalis: quando aliquis concipit naturam humanam, quæ est in Petro, non considerando Petreitatem, seu cōditiones indiuiduantes, tum recipit illa natura omnem unitatē à conceptu, quam potest recipere; sed non recipit unitatē aliquam secundum quam posset predicari de Paulo aut alijs indiuiduis, ergo unitas vniuersalis non accipitur à conceptu. Probatur minor, quia illa natura sic concepta non potest predicari vere de Paulo prædicatione dicente, hoc est hoc; (de qua prædicatione loquimur hic) nisi sit in Paulo; sed ex eo quod concipitur non concepta Petreitate non habet esse in Paulo, nisi fuerit antecedenter in Paulo, vt videtur euident: ergo ex illo cōceptu non habet unitatem secundum quam posset predicari de Paulo prædicatione dicente: hoc est hoc.

Dices cum Auersæ: quando intellectus concipit naturam humanā, quæ est in Petro, format eo ipso conceptū obiectiuum, qui possit predicari de quocumque indiuiduo; qui conceptus obiectiuus cum recipiat suum esse ab intellectu, recipit etiam suam unitatem ab illo.

Contra: quia ille conceptus obiectiuus vel est vere & realiter in illis indiuiduis, vel non est; si non est, non poterit predicari de illis prædicatione dicente: hoc est hoc; si est in illis, sane non est in illis per intellectum, neque enim intellectus habet virtutem ponendi in indiuiduis humanis aliquid, & maxime eorum naturam: ergo ille conceptus obiectiuus, qui est prædicabilis de indiuiduis, non sit per intellectum, neque accipit consequenter unitatem suam ab intellectu, sed habet illam independentem ab omni operatione intellectus.

Probatur vltimus conclusio quoad secundam & tertiam partem particulariter contra *Arriagam* quia si natura fieret vna per actum vllū intellectus, maxime per illū actum, quo

Per intellectū non recipit naturā aliquid reale.

Natura nō habet esse vna per denominationem extrinsecam.

Natura non accipit ab intellectu unitatem vniuersalem.

Unitas vniuersalis non est ficta.

quo conciperentur omnia indiuidua ita confuso modo, vt videatur vna sola natura, seu res concipi, nec vi istius actus possit intellectus discernere an plura tū proponatur. Sed non fit vna vnitate sufficienti ad vniuersalitatem per talem actum: ergo non fit vna per intellectum.

16. Probatur minor primò, quia antecedenter ad talem actum habet sufficientem vnitatem pro vniuersalitate: ergo non fit sic vna per talem actum. Probatur antecedens, quia non requiritur alia vnitas pro vniuersali, quā vnitas similitudinis, aut illa, quam habent plura, ratione cuius possint concipi tali conceptu, hanc autem habent sine dubio ante illum conceptum.

Confirmatur hoc, quia omnia indiuidua humana sunt conceptibilia ex se vno conceptu, quo licet possint ab aliis indiuiduis distinguī, non tamen possunt distinguī inter se, & sunt prædicabilia in adæquate de quolibet indiuiduo secundum ipsummet aduersarium: ego ex se possunt dici esse vniuersale, quia quatenus sunt sic conceptibilia, possunt dici vnum, & quatenus sic prædicabilia, sunt prædicabilia de multis, ergo non habent esse vniuersale ab actu intellectus.

Probatur minor secundo; quia per hoc quod concipiatur plura tali modo, non fit vt illa plura sic concepta possint inesse verè cuilibet indiuiduo ex illis pluribus; sed natura, quæ est vna vnitate vniuersali, debet posse sic inesse, alias natura vniuersalis non esset vna in multis, nec posset consequenter prædicari de multis.

17. *Dices cum Arriaga*, plura illa quæ concipiuntur per modum vnius, non inexistere cuilibet indiuiduo adæquate, sed in adæquate tantum, & eodem modo illud totum non prædicari adæquate, sed in adæquate, hoc est secundum partem aliquam.

Contra, quia totū illud prædicat intellectus adæquate, quod adæquate & non secundū partem concipit esse in indiuiduo: sed quando intellectus dicit Petrum esse hominē, apprehendit totum illud quod est ex parte prædicati hominis, esse in Petro, nec distinguit prorsus inter partem aliquam ipsius, quæ esset in ipso, & partem quæ non esset: sed illud prædicatum est aliquid vnum vniuersale, ergo natura vniuersalis non prædicatur de quolibet indiuiduo in adæquate, sed adæquatissime.

18. *Probatur denique conclusio contra Thomistas & Scotistas* etiam aliquos dicētes quod natura habeat esse vna vnitate vniuersali per præcisionem intellectus, qua considerat ipsam non considerādo ipsius singularitates aut conditiones indiuiduantes; probatur inquam hoc, quia illa ipsa natura quæ consideratur, vel est vna in multis, aut apta esse in multis, vel non est sic vna, aut apta: si est vna aut apta, ergo ex se habet esse vniuersalis & non à præcisione; si non est, certe per hoc quod sic intelligatur, nequit esse talis.

Confirmatur, quia vel intelligitur, vt est, & sic nisi fit vna, non potest vt talis intelligi: vel vt nō est, & sic præterquam quod cōceptus sit falsus, adhuc natura nō propterea fit vna, quod sic intelligeretur, sicut non propterea homo esset equus, quod intelligeretur vt equus.

Probatur secundo: quando præscinditur natura, cognoscendo ipsam non cognitis conditionibus indiuiduantibus, vel obiectum ipsius cognitionis, secundum quod distinguitur à cognitione, est vnum, vel non est vnum: si non est vnum, ergo est plura, & consequenter non præscinditur à conditionibus indiuiduantibus contra hypothēsin, & præterea quandoquidem illud quod vt sic cognoscitur, est, quod prædicatur de multis per modum vniuersalis, non aliquid vnum prædicatur de multis, sed plura: si est vnum, ergo vel vnitate aliqua quam habet ex se independentē à cognitione, vel vnitate, quam habet à cognitione: si primum dicatur, ergo natura habet à parte rei vnitatem vniuersalem, & consequenter non fit vniuersalis per præcisionem: si secundum dicatur, iam supra impugnatum est abunde.

Confirmatur: illa natura quæ præscinditur, vel est à parte rei in indiuiduis, de quibus prædicatur, ita vt illud ipsum obiectū cognitionis præscindens, sit reuera in omnibus illis secundum se positiue, vel non est in illis verè &

positiue; si est in illis illud ipsū vnu à parte rei, ergo habet vnitate vniuersale in ipsis à parte rei, & consequenter non recipit vnitatem, nec vniuersalitatem à præcisione: si non est, ergo quamuis reciperet vnitatem à præcisione, adhuc non erit prædicabile de indiuiduis, & consequenter non erit aliquid vniuersale.

Confirmatur secundo admittendo gratis quod quando natura aliqua consideraretur absque sua singularitate & aliis, quod per hoc haberet aliquam vnitatem, quā ante non habuit, & quod reuera tum etiam haberet quantum est ex se, aptitudinē ad hoc vt cōiungi possit cum quocumque indiuiduo talis naturæ, quod est summū, quod potest excogitari, posse ipsi aduenire per præcisionem; Admittendo inquit totū hoc, adhuc non sequitur, quod illa natura possit prædicari de multis, etiā superadiuctis quibuscumque aliis actibus intellectus, ergo per talem præcisionem non fit vna vnitate vniuersali; nec consequenter vniuersalis etiā metaphysicè, quia quicquid est sic vniuersale potest prædicari de multis. Probatur minor, quia quāuis aliquid sit ex se aptū esse in multis, & possit etiā nō solū supernaturaliter, sed naturaliter esse in multis, tamē nisi sit in multis, nō potest dici de multis prædicatione dicente, quodlibet ex illis multis est hoc, vt est euidens: sed per hoc quod natura præcisa habeat per præcisionem esse vna & apta etiam, non eo præcise habet esse actu in illis multis, nec ex hoc sequitur quod sit in multis, nisi antecedenter fuerit in multis; ergo ex hoc non sequitur quod sit vniuersalis metaphysicè.

20. *Dices* naturam habere esse multiplicatam tantum à singularitatibus, ergo considerata sine singularitatibus non est multiplicata, & consequenter est vna, & habet esse sic vna à consideratione illa.

Respondeo negando vltimam consequentiam, quia quamuis sequatur, naturam esse vnam, vt consideratur sine singularitatibus, si habet à singularitatibus multiplicari, tamen non sequitur quod illa vnitas adueniat ipsi per considerationem; sed quod habeat talem vnitatem ex semetipsa.

Dices: si haberet talem vnitate ex se, esset vna, & multiplex; vna quidem ex se & multiplex à singularitatibus.

Respondeo, hoc totum esse verum, si à solis singularitatibus habet multiplicari, nec est inconueniens quod sit vna & multiplex secundum diuersas rationes, v.g. vna formaliter & essentialiter, & multiplex numero.

Dices: hinc sequeretur quod à parte rei daretur vna positiue natura in multis formaliter & essentialiter, contra dicenda conclusione tertia.

Respondeo negando sequelam, sed sequeretur solum quod daretur vna natura secundum se formaliter & essentialiter, quæ non obstante illa vnitate per singularitates potest multiplicari modo inferius explicando.

Fundamentum aduersariorum est vnicum, quod natura vniuersalis habeat aliquam vnitatem, nō vero vllā, quæ sit à parte rei: ergo necessariò debet ipsam habere ab intellectu: sed ex dicendis patebit minore esse falsam, nec alia modo responsio ad hoc fundamentum requiritur.

CONCLUSIO II.

21. *Natura specifica v.g. humana, non est priuata per singularitates aliqua vnitate quam habet, nisi aduenirent singularitates; nec si fuisset etiā, bene diceretur propterea esse priuatiue vna in suis indiuiduis.* Hæc est contra aliquos Scotistas, qui dicunt de facto naturam Petri & Pauli non esse positiue vnam, etiam formaliter, quia multiplicatur in illis, & diuiditur per singularitates; tenent tamen quod esset vna natura, nisi aduenirent singularitates, & quod consequenter de facto illæ naturæ sint vna natura formaliter, non positiue, sed priuatiue.

Probatur conclusio quoad primam partem, quia si illis naturis secundum se competeret vnitas aliqua positiua, nisi aduenissent singularitates impediētes illā, cōpeteret illis tanquā prædicatū essentialē aut proprietas, imo deberet cōpetere tanquā proprietas in sententia cōmunissima quod omnis vnitas sit proprietas rei, cuius est vnitas: sed si fuisset proprietas, aut prædicatū essentialē nō posset tolli per singularitates, nihil .n. potest tollere à re

Natura
nō habet
esse vna
à præci-
sione.

Natura
vniuer-
salis non
est priua-
ta per singu-
laritates
vlla vni-
tate.

à re aliqua prædicata intrinseca, aut proprietates, ut patet: ergo non haberent ista naturæ illam unitatem, etiam si non aduenirent hæcceitates.

Confirmatur proprietates & prædicatum quodcumque essentialia sunt identificata realiter rei, ergo non possunt separari à re per vllum aliud: sed naturæ humanæ Petri & Pauli non habent illam unitatem secundum aduersarios, sed separantur realiter ab illa, ergo illa unitas non potest esse proprietates illarum.

Confirmatur secundo, quia illa unitas, quam haberent, nisi impedirentur per singularitates, non deseruierit ad vniuersalitatem, ergo non est asserenda. Probatur consequentia, quia in ordine ad declarandam naturam vniuersalis ponitur ab aduersariis. Probatur antecedens, quia unitas requisita ad vniuersalitatem est unitas secundum quam natura potest prædicari de multis; sed natura de facto potest prædicari de multis sine illa unitate, quandoquidem eam non habeat de facto, & ea posita, non posset prædicari de multis, quia ea posita non essent singularitates, nec consequenter multa in quibus inesset & de quibus posset prædicari, ergo non deseruierit illa unitas ad vniuersalitatem naturæ, sed potius impedit eam.

22 Probatur secunda pars, quia non bene dicitur aliquis videns priuatiuè, qui est cæcus, quamuis sit priuatus visu, ergo nec bene dicitur aliquid vnum priuatiuè ex eo quod priuatur sua unitate, sed potius debet dici positiuè non vnum.

Confirmatur, quia reuera natura non priuatur per singularitates unitate aliqua, ergo non potest esse vna priuatiue etiam in sensu aduersariorum. Probatur antecedens, quia natura non habet aptitudinem ad unitatem aliquam positiuam, ergo non priuatur tali unitate. Probatur antecedens, quia illud non debet dici habere aptitudinem ad aliquid, cum quo nec de potentia absoluta, nec de ordinaria Dei, aut creaturæ potest coniungi, sed per nullam potentiam potest natura coniungi cum tali unitate, quandoquidem necessariò identificetur realiter singularitatibus, ergo non dicit aptitudinem vllam ad talem unitatem.

CONCLUSIO III.

23 Natura specifica v.g. humana, secundum quod distinguitur à singularitate, non est vna formaliter positiuè in omnibus indiuiduis. Hæc est communior sententia Scotistarum contra quosdam alios Scotistas, qui licet concedant naturam multiplicari numero in indiuiduis existimant tamen naturam humanam v.g. quæ est in Petro, esse eandem formaliter & positiuè naturam, quæ est in Paulo, ita ut si secludantur hæcceitates Petri & Pauli, esset verum dicere quod natura, quæ est in Petro, est ipsamet natura, quæ est in Paulo sine vlla prorsus distinctione.

Probatur conclusio primo ex Scotto 2. dist. 3. q. 2. ubi tractat hanc rem; dicit enim expressè quod nihil secundum quamlibet unitatem, quam habet in re, sit in potentia proxima ut prædicetur de quolibet supposito, seu singulari, prædicatione dicente, hoc est hoc; sed si à parte rei vna formaliter & positiuè natura inexistet pluribus indiuiduis, potuisset prædicari de ipsis prædicatione dicente, hoc est hoc; ergo, vel falsum est quod dicit Scotus, vel falsum est oppositum conclusionis & consequenter vera erit conclusio ex Scotto.

Responderi posset quod Scotus tantum velit quod nihil secundum quamlibet unitatem quam habet à parte rei, sit proxime prædicabile, ex eo quod prius debeat apprehendi ab intellectu, quam per intellectum possit prædicari.

24 Contra, quia Scotus negat esse proxime prædicabile, sicut essentia diuina est proxime prædicabilis de tribus personis, sed in illa sententia esset tam proxime prædicabilis, quam essentia diuina nam nihil requireret præter apprehensionem & comparationem intellectus; sed hoc ipsum requirit essentia diuina ut possit proxime prædicari de tribus personis, Deinde numquam concederet quod natura vlla creata esset tam proxime prædicabilis de multis, quibus identificaretur, quæ esset prædicabilis de vno, & tamè hoc sequeretur ex opposita sententia, ut patet: ergo opposita sententia est contra Scotum.

Confirmatur, quia propterea requirit operatione in-

tellectus, ut natura constitua tur proxime indifferens, ut possit participari à multis: sed, seclusa omni operatione intellectus, esset in opposita sententia proxime indifferens, cum de facto à parte rei participaretur ab illis, ergo &c.

25 Probatur secundo ratione: quia impossibile est quod idè indiuiduum & indistinctum creatum sit in pluribus indiuiduis realissimè distinctis: sed hoc sequeretur ex opposita sententia, quia eadè positiue natura humana esset simul in Petro & Paulo. Maior patet, quia hoc est peculiare naturæ diuinæ, ut manens vna sit in pluribus personis diuinis realiter distinctis simul: & quidè hoc mysterium est tam mirabile, ut superet humanum caput, nec nisi captiuato intellectu in obsequiū fidei de ipsa essentia diuina crederetur, non obstare sua infinitate, ut mirum sit aliquos posse cogitare, quod idè contingeret in naturis creatis.

Responderi potest ad hoc distinguendo maiorem: impossibile est ut aliquod creatum vnum numero sit simul in tribus realiter distinctis, conceditur; liquod creatum vnum formaliter tantum, sed non vnum numero, negatur; nec probatio maioris probat eam nisi tantum in primo sensu. Sic ergo hanc rem explicant aduersarij, ut dicat naturam humanam, quæ est vna formaliter & positiuè etiam in omnibus indiuiduis, numerari tamen & diuidi in illis non formaliter, sed numero, ita ut tot sint naturæ humanæ numero distinctæ; quot sunt indiuidua; licet non sint tot formaliter aut essentialiter distinctæ: hanc autem diuisionem numericam prouenire ab illis variis hæcceitatibus, quibus contrahitur ad illa indiuidua.

26 Sed contra est, quod non possit intelligi quod aliquid diuidatur aut multiplicetur per aduentum alterius, si maneat eodem modo vna, quo ante aduentum eius erat vna, ut ex se manifestum videtur: & patet etiam mille exemplis, quia propterea non dicitur paries multiplicari, nec diuidi per aduentum quarumcumque formarum accidentalium verbi gratia nigredinis, albedinis, caloris &c. quia post aduentum horum est eodem modo vnus, quo erat ante. Sed natura humana est vna formaliter, & positiuè post aduentum quarumcumque singularitatum, sicut fuisset, si nullo modo aduenirent illæ singularitates, ergo per singularitates non multiplicatur, nec diuiditur vllō modo.

Confirmatur hoc, quia propterea optime colligitur quod essentia diuina non multiplicetur per personalitates diuinas, quia licet coniungatur cum personalitatibus, manet eodem modo vna quo erat ante, licet ex illa & personalitatibus illis resultent tres Personæ realiter distinctæ: ergo quamuis ex natura humana & singularitatibus constituerentur aliqua realiter distincta, quorum quodlibet esset omnimodo incommunicabile, non tamen inde sequeretur quod ipsa natura multiplicaretur in illis, si maneret eadem positiue natura in illis, quæ fuit ante aduentum istarum singularitatum.

Confirmatur secundo, propterea natura humana contracta per singularitatem esset vna numero, cum ante illam contractionem non esset sic vna, quia ut affecta illa singularitate redderetur incommunicabilis non solum formaliter, ut erat ex se ante illam singularitatem; verum etiam numero: sed non est incommunicabilis numero per contractionem illam magis quam antea: ergo non est iam magis vna numero quam ante. Probatur minor, quia sicut ante illam contractionem poterat contrahi per hanc singularitatem, ita postquam iam est contracta per hanc singularitatem, eadem formaliter natura potest contrahi, & de facto contrahitur per aliam singularitatem: ergo sicut ante fuit comunicabilis, ita & modo.

27 Dices naturam secundum se esse semper communicabilem, ut tamen coniungitur cum hac singularitate in sensu composito seu reduplicatiuo, non posse comunicari.

Contra, quia hoc nihil est aliud dicere quàm quod illa simul cum singularitate non possit comunicari vltius. Sed hoc non tollit difficultatem, ergo nulla responsio. Probatur minor primò, quia sic posset dici quod essentia diuina fiat vna numero per paternitatem & non antecesserit ad paternitatem, quia coniuncta cum paternitate non potest comunicari vlli, & absque paternitate potest comunicari.

Natura specifica non est vna formaliter & positiue in multis.

Nihil maius vnum eo modo quo ante potest diuidi.

Natura non obstante singularitate est comunicabilis.

municari. Probatur minor secundò, quia quod potest simpliciter communicari & multiplicari, non est vnum numero simpliciter: sed natura humana, quæ est in Petro, non obstante quod sit in Petro, potest communicari, ergo simpliciter non obstante quod sit in Petro, non est vna numero magis, quam si non existeret in Petro.

28. *Probatur secundò* cōclusio: eorū quæ sunt identificata realiter, vñ nō potest existere à parte rei sine alio, euidētissimū enim signū distinctionis realis, & cōsequēter nō identitatis realis, est separatio realis, quoad existentia, sed si esset eadē posituue natura in Petro, & Paulo identificata cū eorū singularitatibus hoc esset falsum: ergo non potest fieri vt ita sit. Minor patet, quia natura illa in Petro posset existere à parte rei, quamuis Paulus non existeret, in tali autem casu existeret sine singularitate Pauli.

Respondent ad hoc, maiorem esse veram, loquendo de rebus singularibus, non vero loquendo de vna re vniuersali & illimitata & de alia re singulari.

Sed contra primò, quia sicut ipsi possunt negare illud principium de duobus extremis, quorum vnum sit vniuersale, & alterum singulare, ita posset alius negare illud de duobus rebus singularibus; & sic tolleretur totaliter illud principium, quod est absurdissimum. *Et si dicatur* esse disparitatem, quia vniuersale est illimitatum, singulare vero limitatum. *Non tollitur difficultas, primò*, quia posset quis dicere quod aliquid singulare esset illimitatum; v.g. eadem anima respectu intellectus & voluntatis, & quod propterea non obstante identificatione sua reali cum illis posset existere sine aliquo ex ipsis. *Secundò*, quia licet esset aliquid illimitatum respectu plurium, & ex hoc sequeretur quod posset cōiungi cum illis, tamen non inde sequeretur, quod posset existere à parte rei sine quocunque ex illis, vt patet in exēplo allato de anima respectu intellectus & voluntatis, & vt patet etiā in essētia diuina, quæ licet sit illimitata ad tres personas diuinas, tamē nō potest existere sine qualibet ex illis, & hoc ex eo, quod identificetur realiter cum ipsis. Quod si etiā anima rationalis, quæ est illimitata respectu totius corporis identificaretur toti corpori, profecto implicaret quod posset existere, quin simul totum corpus existeret.

Confirmatur, quia si natura humana posset existere à parte rei sine Petreitate, non esset vllum principium vnde colligeretur quod non distingueretur realiter à Petreitate: sed hoc est absurdissimū, quia sic daretur idea Platonica, nimirū aliquid commune distinctum realiter à singularitatibus. Probatur maior, quia signum vnde colligeretur, esset inseparabilitas eorū, cum tamen non subiectarentur in rebus diuersis, nec vnum causeret, aut produceret aliud: sed non esset illa inseparabilitas, ergo.

29. *Dicitur* satis est pro signo quod nō distinguatur realiter, quod natura humana debet identificari realiter alicui indiuiduo; non est autē maior ratio de vno quā de altero, & cōsequēter identificabitur omnibus: ad colligendū vero quod identificetur realiter alicui indiuiduo, sufficit quod non possit poni à parte rei sine aliquo indiuiduo.

Contra primò, quia si potest poni sine Petreitate & Pauleitate, ergo & sine omni. Cōsequentiā est Scoti, ita enim probat materiam primā posse existere sine omni forma per diuinā potentia; quia potest sine hac & illa.

Contra secundò, quia in sentētia probabili Thomistarū quātumvis aliquid nō possit esse sine aliquo ex multis indeterminate, tamēsi potest esse sine quocunque determinato ex illis, inde colligitur sufficienter quod distinguatur realiter à quocunque determinato ex illis: hinc enim colligitur quod materia prima, licet non possit esse secundū ipsos sine aliqua forma, distinguatur tamē realiter à quacunque forma determinata, quia sine quacunque determinata potest existere: ergo similiter quamuis natura humana nō possit existere sine aliqua singularitata indeterminata, quia tamē potest sine quacunque determinata, distinguatur realiter à quacunque determinata singularitate; & ne dicatur doctrinam Thomisticam non admitti à Scotistis, quamuis reuera hoc sit falsum, quantum ad collectionem illam distinctionis realis, tamen pono aliud exemplum clarissimum: nullum con-

tinuum potest inexistere sine aliquo indiuisibili, & tamen non identificatur realiter vlli indiuisibili, quia potest esse sine quocunque determinato indiuisibili.

30. *Probatur tertio*, quia sequeretur quod eadem posituue natura humana esset simul in celo & in terra, generata & corrupta, viua & mortua, diues & pauper, docta & insipiens &c. quia esset eadem natura posituue Christi & Iudæ, Cræsi & Codri, Salomonis & stulti, Alexandri Magni olim mortui & Petri iam viuētis: hæc autem videntur absurdissima.

Confirmatur, quia Deus non posset creare hominē aliquē iā, aut aliquē annihilare, quia creatio est productio rei ex nihilo, ita scilicet vt nihil istius rei præextiterit, & annihilatio est destructio rei, ita vt nihil ipsius remaneat. Sed nō posset homo aliquis iā produci aut destrui, quin natura humana ipsius præextiteret & remaneret in aliis hominibus, nisi omnes homines destruerentur.

Respondent non esse absurdum quod eadem formaliter natura sit simul in celo & in terra &c. licet hoc esset absurdum de eadem numero.

Similiter ad confirmationem dicunt, creationem esse productionem rei, ita vt nihil singulare istius rei præextiterit, non verò ita vt nihil formaliter: & pariformiter dicunt de annihilatione.

Sed contra primò, quia quare ista non essent absurda de eadem natura formaliter, si essent absurda de eadem numero naturalis? *Dices*, quia per se competunt ista, singulari, & per accidens tantum naturæ, quæ est singularis. *Contra*: quia incompatibilia non possunt, ne per accidens quidem competere alicui vni simul.

Contra secundò, quia saltem sequeretur quod tota essentia Christi, & tota entitas ipsius præter singularitatem sit dannata, siue per se, siue per accidens, quod videtur absurdissimum.

31. *Probatur quatuor*, quia nullū prorsus est indicium illius posituue vnitatis formalis: ergo, quandoquidē sit contra cōmuniā sententiā & habet plurimas difficultates, nō debet asseri. Antecedēs patet soluendo obiectiones.

Obiicies primò: Petrus & Paulus sunt indiuisa formaliter, hoc est per principia sua essentialia: ergo habēt vnitatem formalem posituam inter se, licet distinguatur numericè per principia materialia, hoc est per hæcēitates.

Confirmatur, quia habent eandem definitionem, ergo sunt vnum quid formaliter, seu essentialiter.

Confirmatur secundò, quia Petrus & Paulus sunt similes essentialiter, ergo habent aliquam vnitatem essentialem posituam: similitudo enim fundatur in vnitatem secundum Philosophum.

Respondetur, negādo antecedens, sicut enim natura Petri in se est vna formaliter, ita distinguitur formaliter & diuiditur à quacunque alia, quæ non est ipsa, & consequenter à natura Pauli: dicuntur autē non distingui formaliter seu essentialiter propter maximam similitudinem, quam habent in suis essentiis, sicut etiam solet dici de duobus aliquibus indiuiduis hominū, si valde magnam similitudinem habeant, quod non videantur esse distincta, & quod videantur esse vnus & idem homo.

32. *Ad primā confirmationē*, respondeo, si loquamur de definitione obiectiua, aliam esse definitionem Petri, & aliam Pauli, sicut alia est essentia ipsius ab ipso, quamuis propter summam similitudinem, quam habēt censeantur habere vt vnam essentia, ita etiam vnam definitionē: si verò loquamur de definitione formali, qui est actus intellectus repræsentans formaliter definitionem obiectiuam, quamuis esset vna definitio Petri & Pauli, non sequeretur quod nō distingueretur formaliter, sed tantū quod propter summā similitudinem, quam inter se habent, actus ille qui repræsentaret vnius naturā, repræsentaret etiā naturā alterius: sicut imago picta artificialiter, quæ repræsentaret corpus Petri repræsentaret corpus etiā Pauli, si esset valde similes in corporibus suis.

Ad secundā confirmationē respondeo negādo cōsequentiā: ad cuius probationē dico primò quod Philosophus non dicat similitudinē fundari in vnitatem, sed tantum dicit quod illa sunt similia, quorū extrema sunt vna, hoc autem

Quo scilicet indiuidua eiusdem speciei sunt idem formaliter.

Quo sententia habet eandem definitionem.

autem potest esse verum, quamuis similitudo non fundetur in vnitatem. Itaque sensus est quod idem omnino sit, aliqua esse similia, & aliqua esse vna formaliter, vnde illa quæ sunt similia sunt etiam vna, & e contra.

Respondeo secundo distinguendo probationem consequentiam: fundatur super vnitatem quam vtrumque extremum habet inter se, nego; super vnitatem quam vnumquodque extremum secundum se habet, concedo; sed nihil inde contra nos.

33. *Dices* contra totam hanc solutionem: si Petrus & Paulus dicantur vnum formaliter inter se, & habere vnam definitionem propter similitudinem, quam habent in sua essentia, similiter etiam possent dici vnum numero propter similitudinem quam habent in suis hæceitatibus.

Confirmatur hoc, quia sicut non potest aliquod prædicatum essentiale competere naturæ, quæ est in Petro, cui simile non posset competere naturæ quæ est in Paulo, similiter non potest aliquod prædicatum essentiale competere hæceitati Petri, cui simile non potest competere hæceitati Pauli: ergo sicut ex illo capite sequitur vnitatis formalis saltem similitudinaria, ita ex hoc capite sequitur vnitatis numerica eodem modo.

Respondetur primo, quod si similitudinem habeant in hæceitatibus sicut in essentia, vt replica intendit, quod deberent etiam habere vnitatem positivam in hæceitatibus sicut in essentia, quod est absurdissimū, etiam secundum aduersarios. Probatur sequela, quia ex similitudine, quam habent in essentia, arguunt aduersarij vnitatem positivam eorum, ergo si sit talis similitudo inter ipsorum hæceitates, habebunt vnitatem positivam in hæceitatibus. Quod si dicant aduersarij non esse talem similitudinem inter ipsos in hæceitatibus, qualis est in essentia, quæcumque disparitas similitudinis sufficeret ipsis ad excludendum quod non habeant vnitatem positivam in hæceitatibus, sufficeret nobis ad ostendendum quod non debeant dici vnum numero similitudine, sicut dicuntur vnum formaliter similitudine.

34. *Respondeo secundo*, ea dici vnum formaliter similitudine, quæ habent talem similitudinem, vt conceptus formalis, qui repræsentat vnum, natus sit repræsentare alterū, & quia Petrus & Paulus sunt sic similes in essentia sua, propterea dicuntur vnum homo formaliter & essentialiter, ac habere vnam definitionem: quæ verò non habent talem similitudinem, non dicuntur sic vnum, vt singularitates, quæ sunt talis naturæ, vt quod repræsentat vnam ex ipsis non sit natum repræsentare alteram, præsertim si concipiantur perfecte.

Respondeo tertio breuiter negando consequentiam, quia vt aliqua dicantur vnum numero, non sufficit vt habeant similitudinem, sed requiritur vt sint reuera positivè vnū, & vt sint identificata realiter à parte rei: quo modo certum est Petrum non se habere respectu Pauli: vt aliqua verò dicantur vnum formaliter & essentialiter, sufficit quod habeant similitudinem; quod totum patet ex communi acceptione horum terminorum.

Dices: ergo saltem Petrus & Paulus possunt dici etiam vnum formaliter & essentialiter in hæceitatibus, quia habent in illis similitudinem.

Respondeo negando consequentiam, quia vt sint vnum formaliter, debent habere similitudinem in prædicatis essentialibus, & non sufficit quod habeant eam in materialibus, seu individualibus.

35. *Obiicies secundo*: si natura Petri verbi gratia, vt distinguitur formaliter à Petreitate, non esset positivè vna cum natura Pauli, vt formaliter distincta à Pauleitate, sequeretur quod vna ex illis naturis vt sic distingueretur positivè ab altera natura, sed hoc est falsum; ergo, vt sic distinguitur ab hæceitatibus, sunt vna positivè natura. Probatur minor, quia si vt sic, essent distincta positivè, non esset necessitas aliqua superaddendi ipsis singularitates: sed hoc est contra Scotum & Scotistas omnes, ergo & id vnde sequitur. Probatur maior quia totum officium & munus singularitatis est facere vt vna natura similis alteri naturæ essentialiter, nō sit illa altera natura, sed sit positivè distincta ab illa altera

natura; ergo si natura Petri habet ex se, vt distinguitur à Petreitate, nō esse naturā Pauli, sed positivè distinctā ab illa, non est vlla necessitas Petreitis superaddita.

Confirmatur, quia si natura Petri, vt distinguitur à Petreitate, distinguitur positivè, & realiter à natura Pauli, ergo debet habere aliquod principium istius distinctionis: sed non habet, ergo non distinguitur sic. Probatur subsumptū, quia in naturis illis, vt præscindit ab hæceitatibus, nō sunt vlla principia per quæ distinguatur, præter prædicata essentialia istarū naturarū, aut proprietates cōsequētes illa prædicata: sed hæc sunt principia cōuenientie istarū naturarū, ergo nō sunt principia distinguendi illa, idem enim nō videtur posse esse principia cōuenientie & disconuenientie respectu eiusdem.

Respondeo negando sequelam maioris, quia vt sic distincta formaliter, neque est vna positivè cum alia natura, neque positivè distincta ab illa, nam vt sic præcise habet sua prædicata essentialia, inter quæ non est nec vnitatis vlla, nec distinctio: nō vnitatis, quia illa est impossibilis illi; nec distinctio, quia illa provenit à singularitate, à qua vt sic præscindit natura.

36. *Dices* de quocumque formaliter potest prædicari, vel quod sit vnum cum alio, vel quod non sit vnum, ergo de natura etiam Petri potest prædicari, vel quod sit vna cum natura Pauli, vel quod non sit vna cum illa, atque adeo, quod sit distincta.

Respondeo distinguendo antecedens: de quacumque formalitate potest prædicari simpliciter & realiter à parte rei, quod sit vna, vel nō vna, seu distincta positivè, concedo antecedens; & id etiā verum est de natura humana Petri, quæ reuera simpliciter est distincta realiter à natura Pauli, & ipso Paulo, sicut est distincta à natura Bucephali: de quacumque formalitate formaliter & ex ratione sua formali verū est dicere quod sit vnū vel non vnum, nego antecedens: nam, vt dicit Scotus noster ex Avicenna, equininitas secundū se formaliter est tantum equininitas, & vt sic nō est nec vna nec plures; & quemadmodum homo, secundum quod homo, essentialiter non est nec risibilis, nec non risibilis, quia nec risibilitas est de eius essentia, nec negatio risibilitatis, ita natura humana, vt natura humana dicit solū sua prædicata essentialia, nō debet esse formaliter nec vna nec distincta, quia nec vnitatis, nec distinctio est de eius essentia.

Ad confirmationē dico, suppositum antecedentis, nempe quod natura humana Petri sit distincta à natura Pauli, vt abstrahunt ab hæceitatibus, esse falsum, vt patet ex iam dictis, & sic ruit tota vis cōfirmationis. Quod si etiā illud suppositū esset verū, negari deberet subsumptum & cōsequens probationis; bene enim potest fieri, quod idem sit principium cōuenientie similitudinariae aliquorum, & distinctionis ac disconuenientie positivæ.

37. *Obiicies tertio*, si natura, quæ est in Petro, secundū quod distinguitur à Petreitate, sit vna formaliter in se, & distincta positivè à natura, quæ est in Paulo, ergo erunt duæ species distinctæ.

Respondeo primo hypotheseū antecedentis esse falsam, nimirum quod illa natura, vt distinguitur à singularitatibus, sit distincta, vt patet ex dictis ad obiectionē præcedentem. Quod si etiam vera esset illa hypothesis, responderi posset secundū illas naturas esse quidem duas species distinctas, sed omnino tam similes vt reputentur vna species. Pro quo aduerte, illa communiter dici distincta specie, aut species distinctas, quæ habent dis- similitudinem aliquam essentialē, ita vt prædicatum aliquod essentialē possit convenire vni, quod alteri non conveniat: vnde cum istæ duæ naturæ non sint ita dissimiles, quamuis reuera sint distinctæ, & vna non sit altera, tamen reputantur, vt dixi, vna species.

38. *Obiicies quarto*: sequeretur quod nō daretur vniuocatio, quia nō daretur aliquod nomē, quod secundū eandem rationē prædicaretur de multis; homo enim, secundū quod dicitur de Petro, significat naturā illam vnam formaliter, quæ est in Petro, & secundū quod dicitur de Paulo, significat aliā naturā positivè vnam, quæ est in Paulo.

Respondeo negando sequelam & distinguendo eius

Quomodo de quocumque vno potest dici quo sit vnum cum aliis aut distinctum ab illis.

Responsio ad cōfirmationē.

Quomodo duæ naturæ similes sunt vna species.

H probatio

Cut in-
finita
similia in
ratione
indivisi-
ui non di-
cuntur
vnum
numero
ob simi-
litudinē.

Vnitatis
similitu-
dinis suf-
ficat ad
vniuersa-
tionem.

Natura
specifica
quæ est
in vno
indivi-
duo ha-
bet vni-
tatem
solam si-
militudi-
nis cum
natura
alterius.

Alia vni-
tas pro
vniuersa-
litate nõ
requiri-
tur.

Quoniam
vnitas
presup-
ponitur
tanquam
funda-
mentum
similitu-
dinis.

probationem: secundum eandem rationem, quæ sit pos-
sibile vna à parte rei, transeat; secundum eandem ratio-
nem similitudinis, negatur; sufficit autem ad hoc quod
nomen aliquod dicatur vniuersale de multis, quod id,
quod significatur per ipsum secundum quod dicitur
de vno, sit omnino simile illi, quod significatur per ip-
sum, quatenus dicitur de altero.

CONCLUSIO IV.

39. *Natura quæ denominatur vniuersalis v.g. natura hu-
mana quæ reperitur in Paulo, non habet aliam vnitatem à
parte rei cum natura, quæ est in Petro & aliis indiuiduis
eiusdem nature, quam vnitatem similitudinis & conformi-
tatis aut representabilitatis per eundem conceptum forma-
lem; nec alia vnitas requiritur ad hoc vt sit formaliter vna
illa vnitate, quæ requiritur ad hoc vt sit formaliter vniuersa-
lis.* Prima pars huius conclusionis est contra eos, qui po-
nunt vnitatem positivam aut priuatiuam inter naturas
indiuiderum eiusdem speciei; sed est iuxta sententiam
communiorum tam Scotistarum quam Thomistarum,
ac recentiorum negantium illam vnitatem: supponit
autem dari similitudinem & conformitatem inter illas
naturas, de quo non potest esse dubium, cum sit euiden-
tissimum, Petrum & Paulum habere in sua natura talem
similitudinem & conformitatem, vt nisi fuisset propter ac-
cidentia aliqua, sine quibus potuissent illorum natura repe-
ri, non potuissent ipsos ab invicem discernere, vt cõ-
stat in difficultate, quam experimur in discernendis à se
inuicem duobus radiis solaribus, aut duobus ouis, aliisq;
indiuideris, in quibus non discernuntur ita facile acci-
dencia diuersæ rationis: & ex hac conformitate & similitu-
dine oritur, quod ille ipse conceptus formalis, quæ ha-
bemus de Petro, quatenus homo est præcise, sine cõcep-
tu differentie indiuidualis aut accidentium, possit re-
presentare æque bene Paulum, ac quemcumque alium
hominem, quemadmodum imago facta ad representandum
vnum hominem, æque bene representat alium homi-
nem omnino similem ipsi etiam quoad accidentia.

40. *Probatur hæc prima pars, quia nõ est assignabilis alia
vnitas inter illas naturas, quæ sit à parte rei: si quæ in
assignari posset, maxime vnitas positiua, aut priuatiua,
sed hæc supra reiecitur, ergo non est alia præter hæc.*
*Probatur secunda pars, quia si aliqua alia requireretur,
maxime vnitas aliqua, quæ adueniret per intellectum:
sed nulla talis aduenit, vt supra probatum est, ergo.*

*Cõfirmatur, quia nihil impedit quo minus hæc ipsa vni-
tas sufficiat pro vnitatem vniuersalitatis: ergo alia nõ est
assignanda, quia multiplicaretur entia sine necessitate.*

41. *Obiicit, secundum Philosophum similitudo fundatur
in vnitatem, ita vt illa, quæ habent inter se similitudinem,
debeant etiam inter se habere vnitatem antecedentem ad
istam similitudinem; ergo si natura Petri & Pauli habet
inter se à parte rei similitudinem, habent etiam à parte
rei aliquam vnitatem antecedentem, & consequenter
vnitas ipsorum à parte rei non consistit in similitudine.*
*Respondetur primo, vt supra etiam responsum est, Philo-
sophum non dicere quod similitudo fundetur in vnitatem,
sed quod illa sunt similia quæ sunt vna: qui modus lo-
quendi non arguit, quod similitudo distinguatur ab vni-
tatem, aut quod vnitas sit ratio fundandi similitudinem; sed
posset significare, quod vnitas esset ipsamet similitudo,
quemadmodum hic modus loquendi: illud est risibile
quod habet potentiam ad ridendum, non arguit potentiam
ad ridendum esse distinctum quid à risibilitate, sed po-
tius significat risibilitatem esse potentiam ridendi.*

*Respondetur secundo, si requiratur aliqua vnitas antecede-
dens similitudinem inter naturam Petri & Pauli, illa non
esse aliam quam representabilitatem per eandem speciem,
aut conceptum formalem, ita scilicet vt quæcunque duo
sunt representabilia per eandem speciem aut conceptum
formalem seu cognitionem, illa debeant dici vna, & cõse-
quenter similia; & si sunt representabilia per eundem cõ-
ceptum quo intelligitur tota essentia ipsorum, vt sunt re-
presentabiles Petrus & Paulus, quatenus homines, tum
debet dici vna & similia adæquate & essentialiter: si vero
sunt representabilia per eundem conceptum, quod in-*

telligitur pars tantum essentia ipsorum, debent dici
vnum non adæquate, sed inadæquate, & sic sunt vnum
quid & similes Petrus & Bucephalus; quia sunt repræ-
sentabiles per eundem conceptum, qui representat nõ
totam essentiam eorum, sed partem tantum, nimirum
animalitatem, aut corporeitatem.

42. *Hanc autem vnitatem concedimus in conclusione,
& potest optime vocari vnitas formalis & essentialis,
quia est vnitas correspondens rebus ratione essentia:
est etiam minor, quam sit vnitas numerica, quia quæ
sunt vnum numero identificantur realiter, & vnum ne-
quit esse sine altero; quæ vero sunt vnum hoc modo nõ
identificantur realiter, & propterea vnum ex ipsis po-
test existere in rerum natura, altero non existente, vt
contingit de facto quando Petrus moritur, & Paulus vi-
uit, tum enim existit natura humana, quæ est in Paulo,
non existente natura, quæ est in Petro: certum autem
est maiorem esse vnitatem eorum quæ separari neque-
unt, quam quæ sunt separabilia.*

Est etiam alia differentia inter hanc vnitatem, & nu-
mericam vnitatem, quod quæ sunt vnum hac vnitatem
formali & minori, habent multipliciter, ita vt possit
de ipsis dici vere & proprie, ac sine addito sunt plures
res, aut sunt plura entia, nec propterea possit dici de ip-
sis quod sunt vnum simpliciter & sine addito, sed semper
cum limitatione dicendo quod sunt vnum formaliter
aut essentialiter, aut in hac, vel illa ratione aut vnitatem
similitudinis, vel conformitatis, vel representabilitatis
per vnam speciem. Illa vero, quæ sunt vnum numero,
possunt dici simpliciter vnum, nec potest dici de ipsis,
sunt plures res aut plura entia.

Iuxta hoc autem intelligenda est vnitas formalis &
minor numerica, quam asserit *D. Th. in 2. d. 3. q. 2.* quam
propterea vnitatem dari à parte rei, vt vult Scotus, ne-
mo negare potest, qui asserit hanc conformitatem & si-
militudinem ac representabilitatem inter indiuidua
eiusdem speciei dari à parte rei, vt omnes asserere de-
bent; nec alia proflus vnitas probatur argumento Sco-
ti; & hæc ipsa vnitas est etiam proprietates naturæ, nam
sane proprietates ipsius est, quod possit representari per
talem conceptum, qui conceptus possit representare
formaliter aliam naturam, quæ sit similis illi.

Ex hac etiam vnitatem & conditione naturæ v.g. huma-
næ, quæ est in Petro, oritur, quod si concipiatur natura
præcise, hoc est, vt aliquid potens sensitiue discurre-
re, licet à parte rei & realiter sit distinctissima à natura,
quæ est in Paulo, intellectus tamen non possit ipsam
distinguere à natura, quæ est in Paulo: propter quod
etiam potest dici quod istæ duæ naturæ sint vnum con-
ceptu, quatenus scilicet, quantum ad conceptum nõ
strum attinet, non possumus illas distinguere, nisi con-
sideremus ipsas sub aliqua alia ratione.

Ex quo præterea ortum est, quod natura ex se & pro-
prietatibus suis formaliter consideratis non habeat
multiplicari, sed esse vna formaliter, licet sit realiter
multiplicata, quia sc. vt sic considerata nõ potest deter-
minare intellectum ad cognoscendum quod sit multi-
plicata, aut quod natura, quæ est in vno indiuiduo, v.g.
Petro, sit distincta à natura, quæ est in alio indiuiduo: &
fortassis illi, qui voluit naturam ex se esse vnam formali-
ter in pluribus, nihil aliud voluit, quam quod iam di-
ctum est, nimirum illa esse ita formaliter vnam in pluri-
bus, vt ex se non tribuat occasionem intellectui ad co-
gnoscendum quod non sit vna in pluribus, & si hoc vel-
lent, non esset nobis cum illis controuersia.

Dicitur natura, quæ est in Paulo, vt natura, & vt distin-
cta à Paulitate, vel est illa natura, quæ est in Petro, vt
distincta à Petreitate, vel non est; si non est, ergo potest
discerni ab ipsa, & distingui.

Respondetur illam naturam vt sic, neque esse distinctam
ab altera, neque non esse: nam licet à parte rei & realiter
ex contradietionis alterum extremum debeat cuiuslibet cõ-
petere, iuxta primū principium: Quodlibet est vel nõ est;
tamen nõ debet cum addito quocunque alterum ex ipsis
competere cuiuslibet, vt patet manifeste, quia licet verum
sit

fit quod paries sit albus vel non sit albus, tamen non est verum dicere quod sit albus essentialiter, aut quod non sit albus essentialiter, neque enim albedo aut negatio albedinis est de essentia ipsius, licet possit dici quod non sit albus essentialiter negativè, hoc est quatenus verum est, quod albedo non sit de essentia ipsius. Et eodè sanè modo natura humana, quæ est in Petro, vt consideratur ab intellectu, quatenus natura præcisè per ordinem ad prædicata sua essentialia & proprietates, non habet esse illam naturam, quæ est in Paulo, neque non esse illam, quia neque idètitas ipsius cum natura Pauli, est de conceptu ipsius vt sic, neque non idètitas; neque enim potest considerari cum idètitate ad naturam Pauli, neque cum negatione idètitatis, quin consideretur ipsa natura Pauli; quatenus autem consideratur natura Petri vt natura humana præcisè, hoc est vt animal rationale, non consideratur vt habens idètitatem cum natura Pauli, neque vt non habens idètitatem, licet realiter habeat negationem idètitatis positivæ, & realis cum natura Pauli, & præterea vnitatem formalem, hoc est similitudinem cum natura Pauli, & conceptibilitatè per conceptum, qui repræsentare possit æque vtrâque naturam.

45 *Obiicies secundò*: Illa vnitatis similitudinis non sufficit, vt natura possit prædicari de pluribus formaliter prædicatione dicente: hoc est hoc; sed vnitatis requisita ad vniuersalitatem debet sufficere ad hoc; ergo alia vnitatis præter vnitatem similitudinis aut repræsentabilitatis debet concedi naturæ, vt sit vniuersalis.

Respondet distinguendo maiorem: si ad hoc vt aliquid dicatur prædicari de pluribus, requiratur quod ipsummet, quod prædicatur de pluribus, insit positivè in illis pluribus, concedo maiorem: si solum sufficit ad hoc, quod id ipsummet, vel aliquid ipsi simile & repræsentabile eodem conceptu sit in illis pluribus, nego maiorem; & similiter distinguo minorem: vnitatis requisita ad vniuersalitatem debet sufficere, vt aliquid prædicetur de pluribus formaliter ita, vt ipsummet positivè secundum se sit in illis pluribus, nego minorem: ita vt ipsummet vel secundum se, vel secundum aliquid simile sit in illis pluribus, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur quod vniuersale sit in multis, & de multis prædicabile formaliter, non est hoc sic intelligendum, quasi vnum aliquid positivè reperiretur in multis, & prædicaretur de ipsis, quia sic non daretur natura vniuersalis; & propterea Nominales, quia existimauerunt naturam vniuersalem debere hoc modo inesse multis, & prædicari de multis, si daretur, consequenter optimè negauerunt dari naturam vniuersalem. Sed decepti sunt existimantes quod natura vniuersalis sic deberet esse in multis, & de multis prædicabilis: cum tamen sufficiat, vt dictum est, quod vel secundum se, vel secundum aliquid simile sit in multis & de multis prædicabilis; quod bene aduertendum est, vt controverfia cum Nominalibus, ablata æquivocatione, & quæstione de nomine, faciliè componi possit.

46 *Obiicies tertio*: Hæc vnitatis similitudinis est à parte rei, ergo vnitatis vniuersalis est à parte rei; sed hoc est contra communem sententiam, & Scotum etiam expresse supra in 2. d. 3. q. n. 8. ergo vnitatis requisita ad vniuersalitatem non consistit in illa vnitatis similitudinis, aut conformitatis aut repræsentabilitatis per eandem speciem.

Respondet distinguendo consequens: natura vniuersalis metaphysicè fundamentaliter & remotè, concedo consequentiam, nec hoc est contra Scotum aut communem, formaliter & proximè, nego consequentiam.

Insistit: nihil requiritur vt sit proximè & formaliter vniuersalis, quam quod habeat vnitatem requisitam ad vniuersalitatem: sed habet hanc à parte rei secundum nos, quandoquidem consistat in illa similitudine seu repræsentabilitate, quæ est à parte rei, ergo non solum vniuersale metaphysicum datur fundamentaliter & remotè à parte rei, sed proximè & formaliter.

Respondet, negando maiorem, nam requiritur vterius vt sit proximè vniuersalis, quod sit abstracta à sin-

gularitatibus: non est autem abstracta à singularitatibus, nisi vt consideratur ab intellectu præcisè secundum se, non considerando ipsam vt affectam singularitatibus: quia si consideretur natura Petri vt affecta singularitate Petri, videbitur vt distincta à natura Pauli, & consequenter non videbitur vt indifferens secundum se formaliter ad hoc vt prædicetur de Paulo: licet enim secundum se etiam à parte rei, quatenus distinguitur à singularitate sit sic indifferens; tamen quia coniungitur cum ipsa à parte rei singularitas sua, per quam formaliter determinatur ad esse distinctum à Paulo & natura Pauli, propterea non potest dici, quod, vt est à parte rei, sit simpliciter indifferens, sed vt consideratur ab intellectu secundum se, non considerata eius singularitate, potest dici vt sic simpliciter indifferens, quia non habet in intellectu sic considerante impedimentum singularitatis. Quæ doctrina est de mente Doctoris supra, & communis sententiæ.

QVÆSTIO III.

De aptitudine naturæ vniuersalis metaphysicæ.

47 *Am* examinabimus secundam particulam positam in definitione vniuersalis, nimirum quod sit aptum inesse multis, & explicabimus quam aptitudinem inexistendi multis debeat habere, quod ex suppositione resolutionis datæ quæstione præcedenti non est difficile, nec habet ullam controverfiam, nisi dependentè à controuersis quæstionibus præcedentibus: vnde non est necesse sententiis aliquas hic referre. Pro maiori tamè claritate.

Aduertendum, per aptitudinem inexistendi multis, nihil aliud nos intelligere, quam potentiam, seu non repugnantiæ naturæ ad inexistendum multis, siue illa potentia sit naturalis, id est cum inclinatione naturæ, siue violenta, id est contra inclinationem ipsius, siue neutra, id est neque cum inclinatione, neque contra inclinationem naturæ.

CONCLUSIO I.

48 *Natura vniuersalis metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis, quam quod possit dari alia natura sibi similis, potens representari per eandem speciem, qua repræsentatur ipsa.* Hæc sequitur ex dictis, quia natura vniuersalis metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis quam talem, qualem habet natura humana verbi gratia ad existendum in Petro & Paulo: sed illa aptitudo non est alia, quam quod non repugnet naturæ humanæ, quæ est in Petro, habere aliam naturam sibi omnino similem, quæ potest representari per eandem speciem, per quâ ipsa repræsentatur, vt patet ex dictis: ergo.

Confirmatur, quia propterea natura diuina non habet aptitudinem requisitam ad vniuersale metaphysicum, quia non potest dari alia natura ipsi omnino similis, quæ possit representari per eandem speciem, per quâ ipsa repræsentatur; ergo sufficienter erit aliquid aptum aptitudine requisita ad vniuersale metaphysicum, si potest dari alia natura ipsi omnino similis, repræsentabilisque per eandem speciem, per quam ipsum est repræsentabile.

CONCLUSIO II.

49 *Datur à parte rei absque aliqua fitione vel operatione intellectus huiusmodi aptitudo in natura à parte rei existente.* Probatur, quia alias non daretur à parte rei natura, quæ posset denominari vniuersalis. Probatur secundo: quia alias non darentur naturæ similes à parte rei, contra omnem experientiam. Probatur sequela, nam si repugnaret naturæ habere aliam naturam sibi similem, non posset habere naturam sibi similem.

CONCLUSIO III.

50 *Illæ aptitudo formaliter est respectus aptitudinalis similitudinis, quem dicit natura ad aliam naturam sibi similem.* Probatur quia debet assignari aliquid positivum, in quo consistat; sed aliud convenientius nequit assignari, quam huiusmodi respectus: ergo. Probatur maior, alias deberet consistere in negatione repugnantia, sed non potest consistere in hoc, quia ipsa repugnantia est negatio: ergo potentia ipsi opposita debet consistere in positivo.

H 2

&

Quomodo natura vniuersalis debeat esse vna in multis.

Quam aptitudinem existendi in multis requirit vniuersale metaphysicum.

Aptitudo illa datur à parte rei.

Est respectus aptitudinalis similitudinis.